

1667, 35 18
JESU SUBSIDIO
MAGNIFICI ET NOBILISSIMI JCTORUM IN
ILLUSTRI SALANA ORDINIS AUTORITATE
ET INDULTU
P R Æ S I D E
V I R O
MAGNIFICO, NOBILISSIMO ET CONSULTISSIMO
DOMINO

GEORGIO ADAMO *Struben*/
HÆREDITARIO IN *Uhlstädt*, JCTO
ET SALANO ANTECESSORE, CONSILIARIO
SAXONICO, FACULTATIS JURIDICÆ SENIORE,
CURIÆ PROVINCIALIS SAXONICÆ ET SCABINATUS
ADSESSORE GRAVISSIMO EXCELLEN-

TISSIMO,
PATRONO ET PROMOTORE SAN-

CTE COLENDO
P R O L I C E N T I A

SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES ET PRIVILE-
GIA DOCTORALIA RITE AC LEGITIME CA-
PESSENDI,

STELLIONATUM

SISTIT ET PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI, BENIVO-
LÆQUE CENSURÆ SUBJICIT

AD DIEM XVI. JANUARIII M. DC. LXVII.

HORIS ANTE - ET POMERIDIANIS

JOHANNES *Steller*.

Literis BAUHOËRIANIS.

V I R O

Maximè Reverendo, Amplissimo atq̄ Excellentissimo

DN. PAULO HÖPNERO,

SS. Theol. Licentiato, Ecclesiæ Patriæ Pastori & vicinarum Superattendenti vigilantissimo, fidelissimo, Promotori Magno.

V I R I S

Amplissimis, Consultissimo, Pereximis Clarissimo

DOMINO

CHRISTIANO Kaulischen/

Serenissimi Electoris Saxoniae Præfecturæ Leisnicensis patriæ

Justitiario dignissimo, gravissimo, Patrono ac Evergetæ honorando.

DOMINO

JOHANNI Hornen/

Quæstori fidelissimo, Promotori studiorû meorum, Hospiti, parentis adinstar venerando.

NEC NON

Prudentissimis, Clarissimis, Doctissimis & Spectatissimis

DOMINIS

CONSULIBUS ET SENATORIBUS

CIVITATIS LEISNICENSIS,

Patronis, Adfinibus, Patrueli, Susceptori, Patriæ Patribus colendis, observandis

INAUGURALE SPECIMEN

in debitæ observantiæ testimonium

offero

JOHANNES Steller.



JESUS SECUNDET!

Deficientibus vocabulis,
quibus rem exprimere possemus, non
statim deneganda, ac quasi in rerum
natura non esset, res ipsa: nullatenus
siquidem tot sunt vocabula, quot res
extare experimur. Introeamus paulisper Jurisperito-
rum diversorium amplissimum, mox audiemus Con-
tractus alios esse nominatos, alios innominatos. Nec
solum in civilibus, verum etiam Criminalibus defici-
unt vocabula, ita ut per plurima Crimina non speciali
quodam, sed generali nomine exprimenda & docenda:
crimina enim alia proprium & specificum nomen,
quodque alteri delicto, nec in genere, nec largo modo
convenit, neque aliud nomen adsumere potest, alia ve-
rò speciale & proprium nomen non habent, utuntur
autem communi nomine sui generis, quod pluribus
delictis convenit. Hæc ipsa delicta, nomine speciali ca-
rentia, aut veniunt sub actionem de dolo privatam,
aut sub Extraordinariam & criminalem, ut **Stellio-**
natus. Quam materiam pro ingenii modulo,
quamvis ingenuè farendum, humeris impar esse onus,

altiorisque indaginis, impræsentiarum perlustrare &
ita pertractare sedet, ut **Stellionatus** nominalia

(1) **Etymologiam**, (2) **Homonymiam**, (3) **Synonymiam**, ^{realia}, (4)
definitionem (5) **hujus enucleationem**, (6) **modum** quomodo & quando, (7)
aut non perpetratur, (8) **quæ detur actio**
& **quibus**, (9) **qualis poena infligenda**, (10) **an fa-**
mosum iudicium, (11) & **ultimò Adfinia** denu-
demus.

IN NOMINE DOMINI NOSTRI JESU
CHRISTI

CAPUT I.

Pertractat Stellionatûs **Ety-**
mologiam.



Um neglectus verborum ac rerum pariat incerti-
tudinem, & ex verborum intelligentia rerum pen-
deat cognitio, notitiam rei præcedant, est neces-
se principia nominis, ut explicentur, ne foeda no-
minum & rerum sequatur confusio, ajente Imp. in l. fin. C.
de legit.

de legit. tut. proinde & nos notemus **Stellionatum**

unanimes consensu Jctorum, imprimis Cujac. & Wesenb
in parat. h. r. Colleg. Argent. Mejeri ad h. r. n. 1. Pacii in suis
Hagog. Petr. Theodorici in Coll. Crim. disp. 3. th. 17. lit. a. Wis-
senb. ad Pandect. Disp. 32. thes. 1. Anton. Matthæi de crim. ad
lib. 47. tit. 13. aliorumque à STELLIONE. Stellionem au-
tem esse animal venenatum, lacertæ simile, nitens in dorso
maculis quibusdam stellarum more radiantibus, versutissi-
mam, hominique fraudulenter invidum animal, attestatur
Plinius l. 30. c. 11. Putant quidam, inter quos Verrius,

Stellionem à stellis dici, quoniam coriū ejus
varium, ita ut simile stellis in cœlo nitentibus esse videatur.
Poëtæ in Metam. lib. V. extat fabula de hoc ipso unde ortus,
nimirum: Ceres, requirens filiam Proserpinam

*Fessa labore, sitim conceperat, oraq; nulla
Colluerant fontes, contectam stramine vidit
Forte casam, parvasq; fores pulsavit. At inde
Prodit anus, divamq; videt, lymphamq; roganti
Dulce dedit testâ quod coxerat ante potentâ.
Dum bibit illa datum, duri puer oris & audax*

(quem puerum commentatores STELLEM no-
minatuni volunt)

*Constitit ante Deam, risitq; a vidamq; vocavit:
Offensa est neq; adhuc epotâ parte, loquentem
Cum liquido mixtâ perfudit diva potentâ.
Combibit os maculas, & quæ modo brachia gerit
Crura gerit, cauda est mutatis addita membris,
Inq; brevem formam, ne sit vis magna nocendi
Contrahitur, parvâq; minor mensura lacerta est.*

Ast quicquid fit, certum tamen Stellionem animal esse ver-

futissimum, quodq; repat per parietem, meminit quoque Columella l. 7. c. 7. suum veluti senium more coeterorum serpentium temporibus statutis exuere.

CAPUT II. Docet Homonymiam.

Foedam nominum ac rerum confusionem quandoq; Æquivocatio inducit. Sumitur autem **Stellionis** nomen vel propriè pro animali, quod ex phalangiorum genere, lentiginosum, acerbi stridoris, in cavernulis dehiscentibus per æstum terræ, habitat, deinde pro lacerta maculas parvas in dorso stellulis similibus habente, vel Metaphoricè, ut denotet hominem vafrum & decipiendi peritum, quemadmodum apud Apulej. Venus irata filium Cupidinem Stellionem vocat, quippe quo plerique capiuntur omnes. Ut enim animal insigne, radians, versutissimum; ita & Cupido singulari versutia, Thaidem radiantem animis imprimit hominum. Invidus nec absurdè **STELLIO** vocandus. De Stellione innotescit, quòd exutâ pelle more anguium, eam confestim devoret, tanquàm utilem, morboq; comitali medentem, idcirco hominibus praripiat, vel quod ex ea malum possit conflare medicamentum, quò mulieres decipiuntur: nam cum immortuus est in vino, qui bibunt, lentigine obducuntur, *Plin. lib. 8. nat. hist. cap. 31. & lib. 20. cap. 4.*

CAPUT III. Tradit Synonymiam.

Sunt quidam, inter quos Calepin. in *Lex. Jurid. h. v.* Meierus in *Colleg. Arg. tom. 2. h. t.* qui crimen hoc **STELLATURAM**

TURAM vocitant. Verum Stellatura prout innuit l. 12. C. de erog. milit. ann. est privilegium quoddam militum, qui viliori pretio annonam consequuntur, forte à græco *στῆλλω*, i. e. mitto, ut Cujac. tenet in commentario ad d. l. 12. vel ab agro Stellate in Gallia cisalpina, quem C. Cæsar veteranis suis tres liberos habentibus præmi loco distribuisse legitur. Pancivollus lib. 2. var. lect. c. 260. Tabor. Racem. Extraord. ad h. t. th. 4. Germanico nostro idiomate nominari potest STEELIO : NATUS Betrug / Finankerey mit Entfremdung oder Fälschung einer Wahre. Bas. Faber in Lex. Ex mense Alciati in Emblem. non inconcinne Stellio dici potest, Ein solcher Vogel und Gefelle / welcher durch allerhand Schlupflöcher und Cäufgen unvermerckter Dinge etwas practiciren / und einen andern über alle massen meisterlich betriegen kan. Cicero l. 3. Off. versutum, obscurum, astutum, malitiosum, callidum, veteratorem, vafrum dicit. Jure nostro, adferente Tabor. d. l. th. 3. talismodi Stelliones Impostores l. 5. §. 1. h. t. l. 4. §. 2. de Edil. edict. Schälcke. appellantur. Jctus Wissenb. in disp. ad pand. 32. th. 2. Lavernionem, Cujac. in par. C. h. t. Stellionatorem, glossæ *ἄπειρον*, Cyprianus, Implanatorem testante Caj., vocat. Leunclavius *ἄπειρον* & *δολιερόμερον* Stellionem exposuit.

CAPUT IV. Varias, Variorum Autorum definitiones aperit.

Omnis rei definitio in jure cum sit periculosa, inde variarum Stellionatus è diversis autoribus definitionum origo. Tabor. d. l. th. 5. sic describit, quod sit crimen extraordinarium generale, & in subsidium, quoties speciale nomen deficit,

ficit, appellatum, quo impostores subdolè & malitiosè ali-
quid alterius fraudandi causâ machinantur. Althusius *in Di-*
xocol. lib. 1. cap. 122. n. 9. effert, quod sit, quo quis alterius fal-
lacia quavis acceptus quid agit, quod aliàs nunquam fuisset
approbaturus *l. 3. & 4. h. t.* Calvinus *in Lex. Jurid.* dicit esse
fraudem omnem atque imposturam, quæ propriam signifi-
cationem non habet, & in proprium delicti nomen non ca-
dit. Meier *c. l.* refert, quod nomine Stellaturæ contineatur
fallacia, impostura, dissimulatio omnis, etiam quicquid
turpiter fit in fraudem alterius, quod proprii criminis no-
men non habet. Petr. Theodor. *in Crim. Coll. disp. 3. rh. 17.* de-
finit, quod sit impostura & dolus in se subsistens, & imitatio-
ne quâdam alicujus delicti modo hujus modo alterius speci-
em referens. Nobis arridet hæcce describendo, quod
Stellionatus sit crimen seu deli-
ctum extraordinarium innomi-
natum, quo quis dolo, dissimu-
latione, vel alio turpi modò in
fraudē alterius quid committit.

CAPUT V.
Pellustrat Descriptionem.

Crimen appellitant STELLIONATUM ipse
Imperator *in rubric. C. h. t.* Ulpianus *in l. 3. §. 1, 2, 3, &*
l. 4. ff. b. Imperat. Alexandr. *in l. 1.* Gordianus *in l. 2. & 3.*
Phi.

Philippus in l. 4. C. h. quamvis aliàs hant ignotum quod criminis appellatione fraus capitalis intelligatur, quæ perperatâ Reipublicæ detrimentum accrescit, ut per cædes, falsitatem, adulterium &c.

Delictum autem non absque causa, siquidem delicti nomine noxia veniunt privata, quibus privatus læditur: ut per furtum, injuriam, damnum, l. 17. §.

18 ff. de Ædil. edict. **Extraordinarium** esse

non ambigimus. Causas enim criminales partim esse ordinarias, ut furtum, hujusque species recensitæ Lib. 47. ff. à Tit. 2 ad 7. inclus. vis & injuria, partim esse extraordinaria, inter quæ & STELLIONATUS, obscurum esse nequit.

Dicuntur autem extraordinaria, quod illis non sit certa, à lege aut principis statuto aut consuetudinis introductione constituta poena, sed arbitrio imponatur judicantis, siquidem committentes Stellionatum, extra ordinem puniuntur, & hoc secundum delicti & personæ qualitatem. l. 1. ff. de effr. & expilat. c. 4. §. 1. X. de Off. & pot. jud. del. l. 2. l. 3. §. 2. ff. l. 4.

C. h. r. **Innominatum**, non quod nullum habeat nomen, sed quia delictum modo hujus, modo alterius criminis speciem induat, & naturam sequatur, propterea que singulæ species brevi post recensitæ, certum nomen non habent, sed generali nomine utuntur, l. 3. 4. ff. & t. t. C. h. Me-

noch. de arb. jud. quest. lib. 2. Cas. 381. n. 4. **Dolo** committere crimen adseveramus. Est enim dolus machinatio quædam, alterius decipiendi, circumveniendi causa, cum aliud simulatur, aliud agitur, seu non simulatur, & tamen agitur. Dolus hic producit factum criminofum, quod ta-

men speciali nomine est indigitatum. **Disfimu-**

B

landi

landi, aliosve turpes mdoos, sequen-
tia tradunt capita. In fraudem fieri alterius non dubitatur.
Æstimanda autem hæc fraus non solum ex eventu, sed ex
consilio quoque consideranda. l. 79. ff. de R. J.

CAPUT VI.

Quomodo & quando nascatur actio ex Stellionatu.

In genere oritur actio STELLIONATUS, si quid dolo fa-
ctum est, deficitq; titulus criminis. l. 3. §. 1. ff. h. Meier. Coll.
Arg. h. t. n. 2. Petr. Theodor. Disp. 3. th. 17. Quemadmodum
enim actio de dolo in civilibus in subsidium conceditur, cum
alia deficit: ita accusatio hujus criminis, deficiente aliâ no-
minatâ accusatione, locum habet d. l. 3. vers. quod enim. Me-
noc h. de arbitr. jnd. quest. lib. 2. cas. 381. n. 5. Deinde, qui frau-
dis improboris arguitur, si, ob magnam ut rerum, sic & ver-
borum paupertatem, non sit crimen aliud, quod objiciatur,
accusatur ex hoc. Wissenb. ad Pand. disp. 32. p. 475. & seq. th. 1.

- In specie autem actioni locus, & pœna criminis Stellionatus
- I. plectendus iste, qui rem antidiac obligatam, alteri, simulata
priori obligatione, per calliditatem distraxerit, vel permu-
taverit, vel in solutum dederit. l. 3. §. 1. ff. & l. 4. C. h. t. l. 16.
§. 1. ff. de pignorat. act. Menoch. d. l. n. 7. Coll. Argent. c. l. th. 2.
five singulas res quis obligaverit, five universa bona; nihil e-
 - II. nim hæctenus interest. Anton. Matthai de crim. h. t. c. 1. n. 3. nec
non hic, qui rem alienam pignori dedit, crimen stellionatus
committit l. 36. §. 1. de pign. act. Farinac. tract. crim. part. 6.
 - III. l. 5. quest. 150. Eum, qui eandem rem duobus oppignora-
verit diversis temporibus, & dixerit creditori rem esse suam,
& men-

& mentitus sit, falsi poena castigandum esse autumat *Cujac.*
lib. 13. Obs. 21. id quod in tantum procedit, in quantum ille,
qui alienam rem sciens pignori tradidit, dissimulaverit, neque
adfirmaverit, rem ad se spectare, quo posteriori casu crimi-
ne stellionatus tenetur, *uti apparet ex l. 16. §. 1. ff. de pignor.*
act. l. 2. C. de Crim. stellion. Si qua pignora esse quis in instru- **IV.**
mento vel aliàs juravit, crimen stellionatus fit, & propterea
ad tempus exulat. *l. ult. ff. h. t. Wissenb. c. l. th. 5.* Exulatio
autem non perjurii ipsius, sed stellionatus, hoc est, fraudationis
& imposturae poena dicenda est, quae tamen tunc locum
habet maximè, quoties stellionatus crimen adhuc fit
gravius ipso perjurio, sicut aliàs sceleris aut criminis alicujus
gravitas crescere dicitur, ex rerum & personarum circumstan-
tiis *l. 16. §. 1. ff. de poenis. §. 9. ff. de Inj. nam & sine jurejurando,*
si ejusmodi impostura & fraudatio commissa sit, quoniam
dolus impunitus esse non debet, nihilominus stellionatus
poenam coercetur, praesertim si aliud crimen non sit, quod ob-
jiciatur, quàm dolus, quò si quid ejusmodi factum est, ei
stellionatus obtrudi poterit, & sic non perjurio sed stelliona-
tui potius haec poena infligitur, quoniam perjurii poena nul-
la jure civili prodita est, nec poenam ordinariam perjurium sine
dolo punitur. *l. 5. ff. de jurej. Jason & Dd. ad h. l.* Itaque nec
falsi poena tenetur is, qui pejeravit, & tamen quia æquum
est, eum, qui rem suam esse pejeravit, teneri, æquè ut eum,
qui rem suam non esse dissimulaverit; Rectè idcirco adje-
ctum est, ut eo casu debitor stellionatus crimine teneatur.
l. ult. l. 3. & 2 ff. h. t. Nicol. Reusner. Decis. 2. lib. 3. Ulterius **V.**
qui collusionem in necem, fraudem seu damnum alterius fa-
cit, merces supponit, obligatas avertit vel corrumpit, *l. 3.*
§. 1. h. t. Carol. Annibal. Fabrotus ad parat. Cuj. C. h. t. Enarr.
34. Althusius Diocol. lib. 1. cap. 122. n. 10. aut penitus suppri-
mit *l. 6. ff. de extr. crim.* Et ille qui res venales majoris pre- **VI.**

3
tā causa dolosè commendat & exornat. *Menoch. cit. loc. cas. 383. lib. 2. n. 6.* ita ut emptor cupidus insaniat. Quale exemplum adfert Cicero *III. Offic. de Pythio Syracusano*, qui hortos confectā celebri piscatione grandi pretio C. Cannio Equiti Romano vendidit. Creditor, qui non numeratam pecuniam, vel majorem quam debetur, à debitore exigit, ut & petens sibi jam solutum debitum, *l. 29. §. 5. ff. mandati vel contr.* quod quidem in eo non procedit, qui simpliciter petit debitum jam solutum, sed potius in eo, qui exigit. Ex sola enim petitione, sine actionis institutione, non facile admittitur hæc persecutio, ut etiam in eo, qui debitum semel solutum, quod debitor ex errore, dum putat non solutum esse, iterum recipit, etiam si non petierit à solvente. *d. l. 29. §. 5. d. 11. 57. de D. R. J. Perr. Caballus Res. crim. cent. 2. cas. 169. n. 1. seqq.* Aut si acceptā à debitore pecuniā, fidejussori ignorantibus obrepat & circumvento excutiat summam, in quam fidejussit. *Tabor in racemat. extraord. ad D. & C. de crim. stell. th. 8. n. 4.* Torquem auream adulterinam, seu non auream, **IIX** pro aurea vendens, vel qui pro aureo pignore dato, æreum supponit. *l. 3. h. t. l. 36. pr. ff. de pign. actione.* Qualem impostorem *Gidmann Floend* Anglum, habentem unam auream, & plures ejusdem formæ argenteas vel æneas sed inauratas torques, novit fuisse, *Joan de Sande in Decis. Fris. lib. V. tit. 9. def. 8.* qui hac calliditate homines decipiebat, ut prius attentaret auream torquem ad vendendam vel pignori obligandam, quæ cum satis probata & proba inventa esset, dum homines occupati essent in pecunia ipsi annumeranda, singulari dexteritate, ac clam subducebat auream, in ejusque locum æneam vel argenteam & inauratam torquem supponebat. Qui merces corruptas vendunt, aut iis inutilia miscunt; nec non qui crocum, aut alias species aridas, in locis humidis detinent, ut pondus augeant, vel qui in fummitate facci

sacci poma decumana (gebrochene Äpfel) collocant, in tmo
 arida & putrida (abgefallene/ geschüttelte/ fleckichte/ faule)
 Stellionatus reos existimamus, *Menoch. de arb. jud. quast. cas.*
 382. n. 5. *Tabor. racem. extraord. h. r. th. 9. n. 6.* Qui dissimu- X.
 latâ conditione personæ, se divitem deprædicat, cum pauper
 sit & inops, ut eò grandius æs conflare & contrahentes deci-
 pere possit. *Menoch. l. c. cas. 383. n. 25.* Qualem Stellionem,
 J. C. *Wissenb. in Exerc. ad Pand. lib. 47. disp. 32. aph. 2. p. m.*
 479. fuisse ante paucos annos Groningæ refert, qui se princi-
 pis Rakorzii legatum mentitus, non modicam pecuniæ sum-
 mam à nonnullis accepit mutuam, quâ acceptâ clam se sub-
 duxit, excessit. Stellionatus crimine notatur, si rem ven- XI.
 dituro majus pretium quis offerat, non tanquam empturus,
 sed ut alium hiantem inducat, prout & hi, qui in foro & nun-
 dinis accedunt & majus pretium, quam par est, vendenti
 frumentum & annonam offerunt omnem, non ut verè e-
 mant, sed ut ad sui aut alius commodum, quòd horrea do-
 mi sint plena (die uff Theuring aufgeschüttet) pretium au-
 geant. *Menoch. l. c. n. 23.* Postremò & licet sint aliquid dicen XII
 res fallaces usuras, quas extorquere solent creditores à mi-
 ferrimis debitoribus, quibus pecunias credunt, inultas man-
 sisse; & quia certa pœna contra illos non reperitur, solum-
 que Deum ultorem habeant, tamen illa præclaruit opinio
 justior & verior, extra ordinem hos ipsos esse puniendos, cri-
 mine Stellionatus, propter manifestum dolum, quo usi sunt,
 scientes omni jure divino & humano tam grave esse prohi-
 bitum scelus, l. 1. C. de summa Trin. Quotiens enim deficit
 titulus criminis, stellionatus locum habet l. 3. ff. de Stellion.
 & meritò siquidem ista usurarum vorago, animas & faculta-
 tes exhaurit. *Marc. Ant. de Amatis Dec. s. cas. 167. n. 1. § 2.*
 Exempla, quamvis adsint perplurima, sunt odiosa.

CAPUT VII.
In quibus persecutio Stellio-
natus videatur competere, re-
vera autem non com-
petat.

UBicumque dolus contra aliquem commissus, actione de dolo civiliter purgari potest, cesat criminis accusatio. *l. 7. ff. de dol. malo. Menoch. de arbitr. jud. quest. cas. 381. n. 5* Ita si debitor oblato debito, pignus reluat *l. 1. C. h. r. si ignorans debitor rem alii obligatam esse, eam alii rursus obligaverit. l. 16. §. 1. ff. de pign. act.* non nascitur actio, ut & si debitor creditori indicaverit, eandem rem alii quoque obligatam esse *l. 15. §. 2. ff. de pign. & hypoth.* Filius qui cesit jura patris, cum non posset, non potest stellionatus crimine accusari à cessionario circumvento, contractus enim est nullus, atque ita civilis actio de dolo purgatur, cesatque & per consequens crimen Stellionatus *Menoch. d. l. n. 12.* Stellio non est, qui rem alii venditam, alii postea vendidit. Constitutione enim Hadriani nominatim is, qui rem eandem duobus in solidum diversis contractibus vendidit, falsi tenetur, iudicio publico *L. Corneliae de falsis. l. 27. ff. ad L. Corn. d. falsi* ergo Stellionatus accusari nequit, quoniam illic demum Stellionatus objicitur, ubi alterius criminis & titulus deficit *d. l. 3. §. 1. h. t.* Ast si certa lex non dedisset falsi accusationem, crimen Stellionatus eo quoque casu locum haberet. Quotiescunque is, qui rem secundo loco emit, scit, jam prius fuisse alteri venditam, venditor poenam stellionatus non incurrit. *Menoch.*

noch. c. l. n. 12. Cessionarius sine mandato alterius nomine falso cedens, non incidit in hanc poenam, acquirens enim scire debuit qualitatem rei & personam alienantis, quod cesserit tanquam procurator, cum mandato careret, cessionario siquidem mandatum sibi exhiberi conveniebat. *Idem l. c. n. 16.* Vendens aliquid secundo, si prior emtor debito & statuto tempore juxta promissionem pretium non praestat alteri impunè vendere potest. *Id. n. 18.* nec non ille, qui, quoniam ipso jure venditio nulla, secundo vendit, impunè vendit. *Id. n. 19.* Tandem, quando res venditur duobus diversis emptoribus à duobus eandem personam repræsentantibus, hoc ipsum fieri posse absque nota Stellionatus, putat Menochius *loc. cit. n. 21.*

CAP. VIII.

Quæ datur actio, & quæ personæ actionem possunt instituire?

Actionem STELLIONATUS dari supra fusius dictum est, actum explanatumque, ast quibus hæc competat, nunc sequetur. Generaliter omnibus omninò, quorum interest, contra mares & fæminas doli capaces, *l. 23. ff. de furtis,* instituere hanc ipsam permittitur, si quid alicui aliquid dolo factum *l. 3. §. 1. ff. h. r. qui fraudis arguere velit &c.* Creditor *d. l. 3. vers. maxime autem l. 4. C. h. r. l. 36. ff. de pign. act.* Debitor adversus creditorem *l. 29. §. 5. mandati. l. 3. §. 1. h. l. ult. h.* Emptori aliisque pro qualitate delicti actio STELLIONATUS competit.

CAP.

CAP. IX.

Stellio, quâ poenâ afficiendus.

Judex, in ferenda sententia, perpetuo sequi poenas ordinarias & in legibus constitutas, neque illas temerè, suo arbitratu augere, minuere, variare, inflectere, aut infringere sine evidenti causa debet, maximâque ratione secus urgente. *Damhoud. prax. rer. crim. cap. 55. n. 4.* id quod procedit, si adest poena, quam leges sanxerunt, quam principes constituerunt, aut certâ longâque patria consuetudine introducta. *l. 1. §. 2. ff. ad SCtum Turpill.* nec est, quod judex in his ferendis metuat, ast, si deficiunt ordinariæ, & ad extraordinarias seu arbitrarias deveniendum. In his sanè non minor difficultas occurrit, nec minus periculum versatur, quippe quod poenæ extraordinariæ non ita simpliciter ac præcisè determinari, nec certâ aliquâ regula comprehendi queant *Carpzov. in prax. crim. part. 3. quest. 132. n. 4.* Ut autem judex, arbitrium à lege aut homine concessum, gubernare ac regulare semper debet secundum terminos & tramites juris & æquitatis *l. 1. ff. de Usur.* ita in dijudicandis criminibus extraordinariis, ac decernendis poenis arbitrariis, munere suo, secundum juris ac æquitatis normam fungi tenetur, etenim non durior jure aut æquitate judex esse debet, ne ex summo jure fiat injuria, neque clementiorem se præbere *l. 8. C. ad L. Jul. de vi publ. l. 244. de V. S.* Actione autem STELLIONATUS institutâ, in irroganda poena extraordinaria generatim & præcipuè res attendendæ, circa quas dolus committitur, deinde personæ decipientes & decepti, & postremò modus & qualitas negotii. Ipsa *l. 56. §. 1. de furt.* docet, judicem de crimine extraordinariè cognoscentem, juxta stylum arbitrii liberiosem judicare oportere: non autem ex animi sui religione & conscientia, sed ad ea, quæ ipsi non tanquam Petro
aut

aut Paulo, sed tanquam iudici innotuerunt & probata sunt.
l. 6. §. 1. ff. de offic. presid. Damboud. prax. crim. cap. 55. num. 5.
Homines, si stellionatum peragunt plebeji, arbitrio iudicis
damnandi in metallum, quam autem poenam egredi non li-
cet; qui verò in aliquo honore sunt positi, ad tempus vel re-
legantur, vel ordine moventur, *l. 3. §. 2. h. in eum autem, qui*
pejeraverit instrumento sua esse pignora, poena exilii statu-
itur, l. ult. h. t. Supra dictus Joan de Sande *in decis. Frisicis*
lib. V. tit. 9. def. 8. scribit, impostorem **Cidmann Floend**
Anglum, detectum, in hac impostura deprehensum, ex sen-
tentia Curiae loco consueto, numellae alligatum, falsam tor-
que ipsius collo appensam, atque ita ad horae quadrantem spe-
ctaculo expositum; deinde virgis caesum, & in perpetuum re-
legatum fuisse d. 17. sbr. Anno 1616. Julius Clarus *in §. fin.*
quest. 83. vers. si quis imposturam. refert Senatus Consulto
Mediolanensi quosdam impostores, qui torquibus adulteri-
nis decipiebant viatores, fustibus caesos, & e dominio Me-
diolanensi ejectos fuisse. Tabor *sapè cit. loco* refert: anno
post natum Christum 1648. die 4. Febr. hor. 6. matutina
quendam 30. circiter annos natum, famelicum hominem,
sex vites sanguinolentas in domum Pastoris attulisse, simul-
que animo terrore velut conturbato indicasse, sibi, ut primo
mane vineam suam ingressus sit, & matutinas ad Deum pre-
ces fuderit, apparuisse egregiam formam & juventam virum, can-
didis indutum vestimentis seque humaniter salutasse, & cum
inhorruisse ipsum cerneret, bono animo esse, & omni timo-
re vacare iussisse; Esse enim Angelum, à Deo ideò missum,
ut ei indicet, mundum, nisi poenitentia Deus placetur, gra-
vissimas eidem poenas daturum. Adjecisse plura Principi
suo referenda, eorum tamen quidquam ulli mortalium ante
24. horarum decursum revelare, vetuisse, erepto sibi e ma-
nibus cultro vinitorio sex illas vites abscidisse, sibi que tra-
didisse

C

didisse

didisse, quo simul ac manibus attigerit, ita sanguine stillarint, ut is per chirothecas, ad terram usque defluerit, ejusque vestigia tum in Stellionis, tum in Pastoris domo, superesse ferebantur. Quam relationem principis mandato repetiit, ne quoque quid memoria excideret, in scripturam redegit. Septimo Februarij post, rursus angelum sibi apparuisse professus. Ubi cum habitam inquisitione narrationes hominis, per contradictiones & depositiones se invicem destruentes, magis magisque figmento quam veritati propior res visa, custodiae ergo traditus est, & quamvis per tempus veterem cantilenam cecinit, tamen post unam vel alteram horam, verbis generalioribus, graviter sese deliquisse confessus est, praeterea sanguinem qui e naso suo manaverat, vitibus se allinivisse, ultrò professus est. Quò facto Fiscalis commotus, poenam ordinariam efflagitare. Verùm Facultas Argentoratensis juridica respondit: Ob wohl ex ipsa rei confessione gewiß / daß der Gefangene eine schreckliche Impostur und Stellationat begangen / in dem er vorgeben / es sey ihm ein Engel erschienen vom Himmel / welcher ihm befehlt geben die Leute zur Busse zu vermahnem / solche Lügen auch zu Papier gebracht / mit Darreichung etlicher blutiger Weinreben / welche inquisit in des Pfarrers Haus gebracht / und ungeachtet er dieselben wohlwissend beschweisset / gleichwohl pro signo & ostento coelesti angeben / womit nicht allein die ganze Landschaft / insonderheit aber Blöde / und Weibspersonen erschrecket / und in Furcht gesetzt / auch zur sedition animiret worden / massen denn bey drey und vierzig Personen

gelauf-

gelauffen/und vor den Stellionem Haab und Guth/
auch Leib und Leben ausbürgen wollen/ie. Lassen
demnach peinlich Beklagten vor dieses mahl in Got-
tes Nahmen mit der Lebens-Etraffe verschonet/und
schliessen mit den bewehrtesten Criminalisten auf die
poenam arbitrariam/das er vor das peinliche Hals-
gericht gestellet / und wenn er allda seine Teuscheren
nochmahls öffentlich bekennet/vom Nachrichten an-
gegriffen/ zur Stadt hinaus mit ziemlichen Staup-
penschlägen geführet/ und des Landes ewig verwie-
sen seyn solle.

CAPUT X.

Crimen Stellionatus, mox infamiam, mox nullam irrogat damnato.

Extat l. 13. §. 8. ff. de his qui not. infam. quod crimen stellionatus infamiam irroget damnato, quamvis publicum non sit iudicium; è contrario l. 2. ff. h. t. Stellionatus quidem iudicium famosum non esse, coercionem tamen habere extraordinariam. Quæ leges, ut inter sese contrariæ videntur, ita maximam genuere discrepantiam. Unde actione Stellionatus condemnatum alii pro infami, alii verò pro non infami habuerunt, repertique fuere, qui antinomi- am hancce distinctionibus conciliare conati sunt. Bulgarus & Martinus glossatores, infamiam crimen non irrogare,

C 2

sed

sed sententiam latam de crimine. Ast l. 2. ff. h. r. non de crimine hoc solum, sed & iudicio Stellionatus effert, insuper ex nullo crimine, licet publicum sit, infamia irrogare potest, nisi sequatur sententia, l. 7. ff. de publ. iudic. Durenus lib. 1. disp. c. 42. regulariter famosum non esse adserit, cuius tamen opinio refutatur, l. 13. §. ult. ff. de his qui notant. infam. Anton. Faber | Lib. 4. Conject. cap. 2. tollendam esse negationem l. 2. ff. h. r. putat, ita ut verba allata legis sint:

Stellionatus iudicium famosum quidem est, sed extraordinariam coercionem habet, & quidem motus ra-

tionibus, ob juris partim rationem, quæ semper & potissimum spectanda, partim ne Ulpianum contraria & pugnantia scripsisse asserimus. Marcus Lycklama 1. membr. Eccles.

10. §. 3. particulam **NON** in d. l. 7. accepit pro **NON**

solum, hoc sensu: **Stellionatus iudicium famosum non solum est, sed coercionem extraordinariam habet:** Adseritque Jctus Wissenbach ad

Pand. disp. 11. th. 23. has particulas **non, sed,** sæpè ek-

lipticè poni pro **non tantum, sed etiam,** est hîc ita accipi, non credit. **Observandum** tamen, putat esse

esse voculam **quidem**, quæ ἄρχαιον quandam seu
concessionem & promissionem denotet, quasi dicat Ulpia-
nus: **dato, concesso stellionatus**
judicium famosum non esse, ha-
bet tamen extraordinariam co-
ercitionem. Et ita usurpatur quidem l. 3. ff. de
Extraord. crimin. Donellus in *Comment. ad ff. lib. 18. cap. 8.*
has leges in concordiam hunc in modum adducere fatagit,
l. 2. ff. h. t. seu regulam generalem ita conciliandam, quia
per se & sua natura hoc iudicium non famo-
sum, sed **accidentibus illis facti cir-**
cumstantiis, nimirum si concurrat cum hoc cri-
mine civilis actio famosa, erit etiam crimen famosum, si
concurrat non famosa, non erit crimen stellionatus famo-
sum. *Ast l. 13. §. ult. de his qui not. infam.* infamiam irroga-
re putat, si nempe admisus sit in iis contractibus. quorum
actiones privatae infamant. Concordat Wesenb. *paratit. ff.*
h. t. Meierus in *Colleg. Argentoratens. h.* Bacchov. in *comment.*
ad tit. de his qui not. infam. c. 2. & ad Treutl. 1. D. 8. th. 6. lit.
G. Perez in C. h. Gochausen p. 2. peric. Acad. quest. 11. Zoës
ad h. t. n. ult. Ant. Matthæi de pæn. c. 3. n. 5. Itaque quoties
hoc iudicium concurrat cum actione famosa, famosum est,
veluti si cum actione doli infamabit, nam & doli actio famo-
sa est l. 1. ff. *de his qui not. inf.* Ant. Matth. *d. l. n. 5. manda-*
ti, depositi aut tutelæ directæ. Carolus Annib. Fabrotus *ad*

Cujac. par. h. t. si cum ea, quæ infamiam condemnato non adfert, veluti cum pignoratitia actione l. 16. §. 1 ff. de pign. actione. famosum non est. Idem Fabrotus & Matth. d. l. Magnif. D. Seruv. in Syntagm. juris Civ. ad h. t. fol. 939.

CAPUT XI.

ET ULTIMUM.

Adfinia absolvit.

INter affinia refert Tabor *Racem, Extraord. cit. l. thes 35.* singularem Exceptionem ex edicto, quod quisque juris: videlicet cum is, qui decoxit, impetratis novis tabulis, agit cum debitoribus suis sibi obligatis. Hanc enim per exceptionem STELLIONATUS ipsum repelli posse, jam olim censuit Accurs. in glossem. ad d. §. 12. verb. minus honestam. Contraria pignoratitia creditori competit actio, si rem alienam, vel alii pignoratam, vel in publicum obligatam dedit, quamvis & STELLIONATUS crimen committat. l. 16. §. 1. ff. de pignor. act. modo nesciens creditor accipiat vel alienum, vel obligatum, vel morbosum.

GLORIA DEO.

CORO-

CORONIDES.

I.

Schachtspiel / ludus latrunculo-
rum & furunculorum vetu-
stus & ingeniosus jure defendi-
tur.

II.

Ictus malus sub Sole non datur.
Juristen sind die allerbesten Christen.

III.

Injusta est inter opifices non-
nullos recepta consuetudo, ne
quis extra opificium ducat uxo-
rem.

IV.

Et hæc extirpanda, qua sub cer-

ta pœ.

ta poena prohibetur, ne quod u-
nus coepit, alter perficiat.

V.

Spurii non sunt infames.



Qui Themidi pergit servire, LI-
CENTIA grata
Huic venit, & studiis parta Tia-
ra datur.

His STELLERE Themis cum
Te sacrata beavit,
Quid melius Clio nostra vove-
re queat?

Honoris ergo gr.f.

CHRISTOPHORUS PHILIPPUS

Richter/D.Com.P.C.P.P.& Facult.

Jurid. Ordinarius.

Ex⁷

Exponis doctè fraudes poenam
hisque statutam :

Nullus STELLERUM stellio
decipiat!

Clarissimo Dn. Candidato gratulor

GEORGIUS ADAMUS
Struwe / D.

Hostili est animal, quod dicunt,
STELLIO fraude,
Judicio in nostro STELLIO
fraude micat.

Magna fori fraus est quam nunc
STELLERE revelas,
Quæ Juri nostro STELLIO-
NATUS erit.

*Clarissimo Dn. Doctorando Amico suo dilecto, LMq.,
hac grat. adponeb.*

ERNESTVS FRIDERICVS
Schröter / D.P.P. & p.t. Fac. Jur. DECAN.
D Natu-

Naturam monstrant PHYSICI,
quâ STELLIO constet:
Naturam monstrant LEGISTÆ
STELLIONATUS:
Non quærit STELLER, quâ
constet STELLIO Physi;
Sed jura exponit STELLERUS
STELLIONATUS.

*Exiguâ hinc Nobilissimo atque Consultissimo Dn.
STELLERO, J. U. Doctore dignissimo, Amico
atq; Commensali suo multum colendo, de summis in
utroque jure honoribus gratulari, Ipsiq; officia
sua usque & usque paratissima offerre
voluit, ut debuit*

C. E. Reichenbach / J. V. L.

STELLIO, quas fraudes solet
altâ mente fovere,
Hactenus ulterius dissimulare
nequit:


Has

Has etenim insidias summā cum
laude retexit
STELLERUS. Merito digna
brabæa feret.

*Hiscæ Clarissimo Dn. Doctorando, Amicō & Com-
mensali suo honorando, pro impetratis
honoribus Doctoralibus,
ex animo gratulatur*

JACOBUS Bogler.

F I N I S.



Has etiam indicia summas cum

Inde rexit

STILLERUS Merito dignus

Barbae fidei

Quoniam in hac rebus summas cum

Inde rexit

STILLERUS Merito dignus

STILLERUS Merito dignus

Inde rexit

STILLERUS Merito dignus

Inde rexit

STILLERUS Merito dignus

Inde rexit

STILLERUS Merito dignus

Inde rexit

STILLERUS Merito dignus



Jena, Diss., 1667 Schr-Z

ULB Halle 3
004 386 817





f

Sb.

WOM







1667, 35 18

JESU SUBSIDIO
MAGNIFICI ET NOBILISSIMI JCTORUM IN
ILLUSTRI SALANA ORDINIS AUTORITATE
ET INDULTU
P. R. Æ S I D E

VIRO
MAGNIFICO, NOBILISSIMO ET CONSULTISSIMO

DOMINO

GEORGIO ADAMO *Struben*/
HÆREDITARIO IN *Uhlstädt* JCTO
ET SALANO ANTECESSORE, CONSILIARIO
SAXONICO, FACULTATIS JURIDICÆ SENIORE,
CURIÆ PROVINCIALIS SAXONICÆ ET SCABINATUS
ADSESSORE GRAVISSIMO EXCELLEN-

TISSIMO,
PATRONO ET PROMOTORE SAN-

CTE COLENDO
P R O L I C E N T I A

SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES ET PRIVILE-
GIA DOCTORALIA RITE AC LEGITIME CA-
PESSENDI,

STELLIONATUM

SISTIT ET PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI, BENIVO-
LÆQUE CENSURÆ SUBJICIT

AD DIEM XVI. JANUARIJ M. DC. LXVII.

HORIS ANTE - ET POMERIDIANIS

JOHANNES *Steller*.

Literis BAUHOËRIANIS.